

ms. 403 358

I N D E X
L E C T I O N U M

I N
UNIVERSITATE LITERARIA JAGELLONICA
C R A C O V I E N S I

A DIE I. OCTOBRIS ANNO MDCCCXXXVI.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXXXVII.

INSTITUENDARUM.

1836/37

C R A C O V I A E

T Y P I S U N I V E R S I T A T I S .

778567



403 358

m

1836/1837

Biblioteka Jagiellońska



1002470129

Bibl. Jagiell.
1985C KZ 1705 / 116

CIVIBUS LITERARUM STUDIOIS
R E C T O R
JOSEPHUS VINGENTIUS
LANCUCKI

SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR
SCHOLASTICUS CATHEDRALIS. ARCHIPRESBYTER INFU-
LATUS CRACOVIENSIS. ORDINIS S. STANISLAI EQUES

C U M
SENATU ACADEMICO
S. P.

Unus de Magnis, multarumque imaginum Viris, olim in Regno Poloniae ad summos eyectus honores, de Religione, literis, Patria, ne dicam de tota humana societate meritissimus *Potocki Castellaneus Cracoviensis*, visitans haec eadem moenia, intra quorum parietes hodie, *bonae spei Juvenes*, quasi delecti studiorum Cives comparetis, nuperos sodales, qui tum liberalibus artibus imbuebantur, his affatus est: „Salvi mihi estote, Primates, Archiepi-
„scopi, Summi Exercitus Duces, Senatores, Judices, omnesque
„amplissimi munere et honore in Republica Cives; ad haec, quae

„apud omnes habentur, ut sunt amplissima, doctrina vobis viam,
„sternet, et virtus sine dubio perducet.“

Haec eadem vobis, *Ingenui Adolescentes*, initio anni Adita Musarum intransibus sincera mente repeto. Et quamquam rerum humanarum felix exitus magna parte a fortuna, (ut vulgus aestimat) pendet, vos tamen ipsi me hujusce voti compotem reddere possitis, modo memineritis, in homine etiam summam eruditionem et maximam rerum cognitionem, nonnisi cum virtute junctam esse laudandam; doctrinam vero eam nullo ordine dignam, quae non conferat ad bene honesteque vivendum. Omnes etenim liberales artes et quaevis sublimior doctrina hunc communem finem habent, ut animum nostrum, illam divinae mentis scintillam, nobiliorem reddant. Quare in optimis literarum studiis, ita vos versari necesse est, ut in vobis doctrina sit augendae et firmandae virtutis, ipsa vero virtus elevandae doctrinae inseruiat.

Graecorum sapientes praecipue post *Socratem*, qui Philosophiam quasi demortuam ad vitam revocavit, una eaque perbrevis sententia, totius vitae bene honesteque ducendae doctrinam complecti solebant, latissime explicantes et cum variis casibus vitae componentes, inde perpetuos de officiis honesti et boni viri sermones habebant.

Illos mihi hodie imitandos existimavi, ne vobis longiori sermone molestus fierem.

Patres nostri et doctrina et virtute per orbem terrarum clariores, filios, quos domo emittebant, inter valedicendum admonentes „in templis pietatem, in scholis memorem attentionem, in „castris fortitudinem, in re familiari parsimoniam, in conviviiis

„modestam hilaritatem praesefere“ jubebant. Haec ego vobis dum in memoriam revoco, velim ut quasi haereditate relictam a patribus vitae gerendae doctrinam intueamini, eaque saepe mente revolventes, in quot quantosque rivulos sapientiae deduci possit, consideretis.

Vidi ego ipse, vidi patres haec solemni voce lachrimis obortis repetere, et ex his utcumque paucis, tamquam ex abundantissimo et perenni fonte totius vitae bene honesteque gerendae regulam deduci posse, affirmare. Imo contendere audeo, unica illa sententiola, qua *in scholis attentos et memores esse jubebant*, ad amussim impleta, vos et felices et omnibus probatos fore. Quid enim, rogo vos! Doctissimi vestri Professores summo studio enucleant vobis in scholis? nisi quae vel animo excolendo, vel virtuti augendae et firmandae, vel denique vitae bene honesteque gerendae auxilio esse possint.

Quod cum ita sit, servate tenaci memoria hanc brevem, et volenti expletu facilem Patrum nostrorum monitionem, eamque diligenter in animo retinete. „Turpe etenim est (dicit Isocrates) „pictores, quae in animalibus pulchra inveniunt, imitari, liberos „vero, quae in parentibus honesta sint, vita sua non exprimere.“ Haec vos, aetate pressus senex, fortasse brevi debitum naturae soluturus, rogo et obsecro. Haec vobis, una cum Senatu Academico, opto. Haec si a vobis pro tempore muneris mei, expleri videbo, certe, post fata cineres meos consolari sentiam.

ORDO THEOLOGORUM.

JOANNES STANISLAUS PRZYBYLSKI S. TH. D. P. O. P.

PROV. H. T. FACULTATIS THEOLOGICAE DECANUS.

Institutiones Dogmaticas auditoribus anni secundi, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris et Saturni hora 2—3 duce Kluepfl; Ethicas vero auditoribus anni tertii, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris hora 3—4 duce Stapf explicabit.

Idem provisorie Archaeologiam, Hermeneuticam, Linguas Bibli-
cas et Exegesim Sacram Veteris Foederis, auditoribus anni
primi, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ho-
ra 10—11; jam vero Introductionem in Libros Sacros Vete-
ris et novi Foederis, necnon Exegesim Novi Foederis, audi-
toribus anni secundi, iisdem ut supra diebus, hora 11—12
profitebitur.

LEO LAURYSIEWICZ S. TH. D. P. O. P.

Theologiam Pastoralem, Catechetice, Didactice et Eloquentiam
Sacram auditoribus anni tertii, diebus Lunae, Martis, Mer-
curii et Veneris hora 10—12. die vero Saturni hora 11—12
tradet.

JOANNES MASTELSKI S. T. D. PROF. EXTRAORD.

Historiam Ecclesiasticam et Scientiam Patrum, auditoribus anni
primi, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora 11—1,
die autem Saturni hora 11—12 explanabit.

ORDO JURISCONSULTORUM.

ANTONIUS MATAKIEWICZ J. U. D. P. P. O.

FACULT. JURID. H. T. DECANUS.

Horis mat. 1/2 8—9. diebus Lunae et Jovis leges fundamentales Civitatis Cracoviensis et jus Criminale auditoribus primi anni exponet.

Horis autem mat. 1/2 8—9. diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni processum civilem judicialem auditoribus 3^{ti} anni praeleget.

ADAMUS KRZYŻANOWSKI J. U. D. P. P. O.

Horis mat. 9—10 1/2 quotidie, exceptis diebus festis, docebit jus civile, mercantile et processum extrajudicalem.

FELIX SŁOTWIŃSKI PHIL. ET J. U. D. P. P. O.

Horis mat. 8—9. Diebus Veneris et Saturni Historiam juris Romani duce Bachio; institutiones, duce Heineccio auditoribus 1^{mi} anni:

Horis pom. 3—4. die Martis, diebus vero Jovis, Veneris et Saturni hor. mat. 8—9. auditoribus 2^{di} anni Jus Ecclesiasticum secundum programma, quod typis edidit;

Horis denique mat. 9—10. diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis auditoribus 2^{di} anni Pandectas duce Westenbergio, e propriis schedis interpretabitur.

FERDINANDUS KOISIEWICZ J. U. D. P. P. O.

Horis mat. 9—10. quotidie, exceptis diebus festis, Oeconomiam

1921
politicam et jus Naturae (privatum, publicum et gentium) explicabit auditoribus 1mi anni.

Horis vero 8—9. diebus Lunae Martis, Mercurii et Veneris scientiam aerariam, Politicam et Statisticam auditoribus 2di anni tradet.

ORDO MEDICORUM.

JOSEPHUS BRODOWICZ M. D. P. P. O.

INSTITUTI MEDICO-CLINICI DIRECTOR, FAC. MED. H. T. DEANUS.

Horis mat. 8—9. Praxin medicam ad lectos aegrorum; 9—10 Pathologiam et Therapiam specialem, e propriis manuscriptis, ducibus Hildenbrand et Raimann quotidie, diebus Saturni et festis exceptis, docebit.

ALOYSIUS ESTREICHER PH. ET M. D. P. P. O.

HORTI BOTANICI DIRECTOR.

Horis mat. 10—11 1/2 diebus Lunae, Mercurii et Veneris historiam naturalem universalem; diebus vero Martis, Jovis et Saturni iisdem horis semestri hyemali primo Mineralogiam ducibus Berzelio et Leonhardo, dein Zoologiam duce Oken, semestri denique aestivo

Horis pomer. 7—7. Botanicen generalem secundum Lindley et Richard, specialem vero juxta Winkleri Handbuch der Gewächskunde 1834. docebit.

FLORIANUS SAWICZEWSKI M. D. P. P. O.

Horis mat. 7 1/1—9. diebus Lunae, Mercurii et Veneris Pharmacialem duce Geiger; diebus autem Martis, Jovis et Saturni

Chemiam generalem ducibus Berzelio et Dumas docebit; praeterea die Jovis :

Horis pom. 2—3. Chemiam practico-forensem Hünefeldum securus illustrabit.

LUDOVICUS BIERKOWSKI PHIL. M. ET CH. D. P. P. O.

INSTITUTI CHIRURGICO-CLINICI DIRECTOR.

Horis mat. 10—11. quotidie, Praxin chirurgicam in instituto clinico per integrum annum moderabitur.

Semestri hyemali horis mat. 10—12 diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris Chirurgiam theoreticam generalem et specialem secundum opus Chelii e propriis scriptis explicabit.

Horis mat. 11—12. die Saturni doctrinam de cognoscendis et curandis morbis syphiliticis e libro proprio (Choroby syfilityczne czyli weneryczne. Kraków 1833.) tradet. Hoc cursu finito Desmurgiam et Mechanurgiam seu fascias et machinas imponendi artem juxta varios auctores ex propriis scriptis explicabit.

Semestri aestivo horis mat. 11—12 die Lunae Martis, Mercurii, Jovis et Veneris Aciurgiam seu cursum operationum chirurgicarum duce libro suo Berolini 1827. edito, in linguam Polonam translato, docebit; operationes vero chirurgicas in cadaveribus bis per mensem horis non definitis instituet.

Horis mat. 11—12. die Saturni Doctrinam de cognoscendis et curandis morbis oculorum ex propriis scriptis tradet.

ANTONIUS KOZUBOWSKI M. ET CH. D. P. P. O.

Horis mat. 9—10. Anatomiam duce Hempel.

Horis vero pom. 3—4. Physiologiam duce Lenhossek quotidie, diebus Saturni et festis exceptis, per integrum annum exponet. Die vero Saturni eadem hora animalium vivisectiones instituet.

Exercitationes anatomico-practicae a mense Octobris ad Aprilem, quotidie per duas horas auxiliante professoris Adjuncto a candidatis instituentur.

JOSEPHUS MAJER M. ET CH. D. P. P. O.

Semestri hyemali hor. mat. 8—9 diebus Lunae et Veneris Elementa Psychologiae et Logices duce Snellio; horis mat. 9—10 diebus Martis, Mercurii et Jovis Physiologiam et Pathologiam generalem secundum Eblii compendia.

Semestri aestivo iisdem diebus et horis, Elementa Physices ex elementari Prof. Markiewicz compendio; posterioribus, Therapiam generalem et Pharmacodynamicen e propriis schedis Chirurgis inferioris ordinis 1mi et 2di anni polonice explicabit. Eisdem vero anni 3tii Pathologiam et Therapiam specialem duce Raimanno hora 5—6. post merid. diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris per utrumque semestre docebit. Tandem aestate eadem hora pomeridiana die Lunae, praemissis generalibus artis Veterinariae praeceptis; doctrinam de morbis epizooticis et contagiosis, praecunte Wagenfeldio fusius profitebitur.

FRIDERICUS SKOBEL M. ET CH. D. P. P. O.

Semestri hyemali, Hodegeticen medicam duce Friedlaendero tradet, diebus Martis et Jovis hora 4—5. pomerid., Patholo-

giam generalem quotidie diebus Saturni et festis exceptis mane hora 9—10. et post meridiem hora 4—5. diebus Lunae, Mercurii et Veneris praeunte Hartmanno docebit; scholis vero pathologicis absolutis, Diaeteticen duce Klosio iisdem profitebitur horis.

Semestri aestivo, quotidie iisdem horis matut: et pomerid: inprimis Pharmacodynamicen una cum arte formulas medicas concinnandi, secundum Hartmannum et Sundelinum interpretabitur, dein institutionibus hisce ad finem adductis, in Therapia generali explicanda Conradium ducem sequetur.

FRIDERICUS HECHELL M. ET CHR. D. P. P. O.

Horis mat. 12—1. quotidie festis et Saturni diebus exceptis Semestri hyemali medicinam forensem duce Henke, aestivo politiam medicam ducibus Bernt et Niemann exponet.

Horis vero pomed. 5—6 iisdem diebus per integrum annum historiam Medicinae et Chirurgiae ducibus Sprengel et Hecker tradet.

JOSEPHUS KWASNIEWSKI M. ET CH. D. P. P. O.

Horis mat. 11—12. diebus Lunae, Mercurii semestri hyemali doctrinam de morbis foeminarum, opus J. C. G. Joerg secuturus; Semestri aestivo iisdem diebus et horis de morbis infantum ducibus Ad. Henke et Wendt docebit.

Horis matutinis 12—1. diebus Martis Jovis et Veneris Theoriam artis obstetriciae ducibus Froriep et Carus semestri primo foeminis artem obstetriciam discentibus exponet.

Horis pom. 2—3. diebus Jovis et Saturni Historiam Philosophiae
duce Gmeiner profitebitur.

MAXIMILIANUS WEISSE PHIL. ET U. J. D. P. P. O.

OBSERVAT. ASTRON. DIRECTOR.

Horis pom. 2—3. diebus Lunae, Mercurii et Veneris Mathesin
sublimiorem ducibus Burg, Ettingshausen et Poisson tradet.

Horis vero pom. 3—4. diebus Lunae, Mercurii et Veneris Astro-
nomiam ducibus Santini et Littrow docebit.

MICHAEL WISZNIEWSKI PHIL. D. P. P. O.

Horis pom. 2—3. diebus Lunae, Mercurii et Veneris Historiam
Universalem auditoribus 1mi anni tradet duce Rühs et Heeren.

Horis pom. 2—3. diebus Martis Jovis et Saturni Historiam Univer-
salem auditoribus 2di anni tradet ducibus iisdem ut supra.

Horis denique 3—4. diebus Lunae et Veneris Historiam Litera-
turae universalis duce Wachler exponet.

FRANCISCUS XAV. STACHOWSKI S. THEOL. D. P. P. O.

Horis pom. 2—3. diebus Martis et horis mat. 8—9. diebus Satur-
ni Doctrinam Religionis auditoribus 1mi anni.

Horis vero mat. 8—9. diebus Lunae et Veneris Doctrinam Reli-
gionis auditoribus 2di anni exponet.

Horis denique mat. 10—11. diebus Martis et Saturni Linguam
graecam docebit, et horis pom. 3—4. diebus Martis et Satur-
ni Paedagogiam tradet.

ORDO PHILOSOPHORUM.

CAJETANUS TROJAŃSKI PH. D. P. P. O.

FACULT. PHIL. H. T. DECANUS.

Horis mat. 9—10. diebus Mercurii et Saturni Philologiam latinam et horis iisdem, diebus Martis et Jovis, Literaturam Polonicam auditoribus 1mi anni tradet.

Horis vero mat. 8—9. diebus Mercurii et Saturni Philologiam latinam, et horis iisdem, diebus Martis et Jovis Literaturam Polonicam auditoribus 2di anni exponet.

CAROLUS HUBE PHIL. D. P. P. O.

Horis mat. 8—10. diebus Lunae et Veneris, hor. item mat. 8—9. diebus Martis et Jovis Mathesin elementarem tradet auditoribus 1mi anni.

ROMANUS MARKIEWICZ PHIL. D. P. P. O.

Horis mat. 10—11 1/2 diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, horis autem 10—11. diebus Veneris et Saturni Physicam auditoribus 2di anni explicabit, opus A. Despretz secuturus.

Horis denique 11—12. diebus Solis Mechanicam popularem artificibus duce Baumgartner tradet.

JOSEPHUS JANKOWSKI PHIL. ET J. U. D. P. P. O.

Horis pom. 1—2. diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris Psychologiam et logicam auditoribus 1mi anni exponet.

Horis mat. 9—10. diebus Martis, Mercurii et Jovis Ethicam auditoribus 2di anni tradet.

JOAN. HIER. STEPH. RZESINSKI PHIL. ET J. U. D.

BIBLIOTHECÆ ADJUNCTUS.

Horis pom. 2—3. diebus Lunae, Veneris et Saturni Bibliographiam
duce Denis docebit.

JOANNES CANTIUS STECZKOWSKI PHIL. D.

OBSERVAT. ASTRO. ADJUNCTUS.

Horis mat. 8—9. diebus Lunae et Veneris, die autem Saturni hor.
9—10. Mathesin sublimiorem docébit, ducibus Eittingshausen
et Burg.

Lectorium in Bibliotheca publica Univer. Cracov. semestri hyema-
li quotidie exceptis festis a hora mat. 9—1. semestri aestivo
a hora mat. 9—12. et post merid. a hora 3—6; Observato-
rium Astronomicum horis pom. 3—6. diebus Jovis et Solis;
Museum Physicum die Mercurii a hora 9. matutina ad 12. cu-
riosis, qui adesse dignabuntur, patebunt; Hospitibus vero ex-
traneis, qui Bibliothecam, Observatorium, Musea et Hortos
Botanicos invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummo-
do tempus praelectionibus sacrum Bibliothecario et Praefectis
Museum Mineralogici, Zoologici et Horti bot. condonare velint.

Linguam Germanicam hora pom. 5—6. Augustus Otremba, Galli-
cam quotidie hor. 11—12. et insuper diebus Lunae et Mer-
curii hor. pom. 3—4. Franciscus Aubertin; Rossicam pom.
2—3. diebus Lunae, Mercurii et Veneris, diebus vero Martis,
Jovis et Saturni hor. pom. 4—5. Hieronymus Mecherzyński
Phil. Mag. docebunt.

